

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0426

0424

0430

0420

0435

0415

0475

0375

0525

0325

0925

Ende

Anfang

412

vestigia reperimus, quod olim fuerint hominum habitationes.  
Reperimus enim supra nos XII magnas muratas cisternas  
veteres, per quarum circuitum jacebant multae fracturae la-  
terum et fictilium et scoriae fabrorum, et videbatur nobis, quod  
illae cisternae non fuissent factae pro aqua potabili recipienda,  
sed ut in eis limus praepararetur pro lateribus et fictilibus.  
Vidimus autem in ipsis cisternis cadavera magnorum et hor-  
ridorum serpentum et animalium nobis incognitorum. Reperi-  
mus etiam unum coemeterium gentilium et alias multa fora-  
mina et fossas factas ab hominibus ad quaerendum marmora  
alba, quae de visceribus illius terrae extrahuntur. Secundum  
omnem loci illius situm puto, regionem illam esse Cades Bar-  
neae, in qua fiximus tentoria cum festinantia, ut coqueremus  
nobis escas, nam illo die nondum pransi fuimus. Praecedenti  
enim vespera paravimus nobis carnes pro prandio illius diei,  
sed dum carnes de sacculis produceremus in asinis sedentes,  
reperimus eas putrido foetore infectas et cum nausea eas  
projecimus et caseum cum paximatiis vel biscotis pro prandio  
sumsimus, excessivus enim calor, quem habuimus, per latis-  
simum campum nobis carnes corruperat. Misimus autem asi-  
narios nostros cum utribus et amphoris ad afferendam aquam  
recentem de quadam longe distante cisterna, nos vero per  
regionem dispersi sumus ad colligendum sarmenta et ligna  
pro igne, sed non reperimus nisi arida arbustula, quae ex  
humore praecedentis hiemis creverant et iam funditus exarue-  
rant; has cum radicibus de humo extraximus et cumulum  
magnum pro igne comportavimus, nec erat aliquis inter nos,  
qui ab hoc labore haberetur supportatus; currebant enim per  
campos sacerdotes religiosi, comites, carones et milites ad  
colligendum ligna aut materiam combustibilem. Sarmentis  
autem comportatis diu cum desiderio exspectavimus aquas,  
sed tardabant asinarii valde, quia pastores regionis eos a  
puteo repulerant, et cum hoc puteus longe distabat. Tandem  
autem obtentis cum difficultate aquis venerunt in occasu solis  
cum utribus repletis. Erat autem nobis primitus valde abo-  
minabilis aqua in utribus, quia de utribus colorem rubeum  
quasi sanguinolentum et saporem salsa contraxit ex corio et  
omnem qualitatem delicabilem amisit in utribus et cibi cocti

